

DISPUTATIO PHYSICA,

De

MIXTIONE.

Quam

25

DIVINA FAVENTE GRATIA,

Cum Consensu Ampl. FACULT. PHIL.

In Regia ad Aarvam Academia,

Sub PRÆSIDIO,

VIRI

Amplissimi atque Preclarissimi,

DN. M. PETRI HAHN,

Scientiæ Natur. Prof. Ord. & Reg.

at & Academiæ Bibliothecarii celeberrimi,

Præceptoris & Promotoris, debito veneratio-

nis cultu, æternum colendi,

Publicæ Eruditorum censura, in Aud. Max.

horis ante meridiem solitis

diei 28 Maii, Anni 1698,

modeste submittit

NICOLAUS ÆIMELÆUS.

Exc. apud JO. LAURENT. WALLIUM.

S. Æ R. Æ M. TIS

SUMMÆ FIDEI VIRO,
Reverendissimo in CHRISTO
Patri ac Domino,

DN. JOHANNI
GEZELIO,

S. S. Theologiæ DOCTORI

Longè Celeberrimo,

Dicecesios Aboënsis

EPISCOPO

Eminentissimo,

Regiæ ibidem Academiae

PRO-CANCELLARIO

Magnificentissimo,

Consistorii Ecclesiastici PRÆSIDI

Gravissimo,

Patrono & Promotori Maximo,

summa animi Reverentia semper

suspiciendo.

PACEM, GRATIAM, SALUTEM!

REVERENDISSIME
IN CHRISTO PATER,

Vereor sanè, imò, magnoperè
vereor, nè verecundiam o-
blivioni tradidisse videar, dum no-
mine vestro magno, REVERENDI IN
CHRISTO PATER, exiles hasce infan-
tiæ primitias illustro, non ignarus,
summis viris perpetua occupatio-
num multitudine districtis, nihil si-
stendum, nisi multa cura multo-
que studio elaboratum atque po-
litum: facit tamen hæsitanti spem
ve-

venia, favor ille singularis, quo omnes & singulos complecteris, faciunt inquam, audentem beneficia insignia, quibus me meosque, quos fortuna iniquis telis læpius obruere tentavit & indies obruere allaborat, cumulatum ornasti, quæ verbis prædicare, ut nec parvula hæc charta, nec tenuis mea Minerva permittit, ita nè brevi inopique prædicatione diminuam, venerabili potius ea involvam silentio. Excipe autem REVEREND. IN CHRISTO PATER, sereno vultu hoc quidquid Tibi submissè offero, & non tam minusculum ipsum, quod in se exiguum fateor, quam animum offerentis gratissimum, tantoque magis intus ardentem, quanto minus verbis satis dignis beneficiorum magnitudines prædicare, gratiam

tiamque debitam REVERENDIS: VESTRÆ PATERN. agere queat, intuere. Quod reliquum est, Deum immortalem ardentissimis suspiriis veneror, velit REVEREND. VESTRAM PATERNITATEM diutissimè superstitem, salvam & felicem esse, in Ecclesiæ Dei conservationem, rei literariæ emolumentum, & nobilissimæ familiæ gaudium, decus & ornamentum perenne! quo voto nunc desinit, nunquam devota vota ad Deum pro R. V. PATERNITATIS incolumitate fundere desiturus.

REVERENDISSIMÆ VESTRÆ PATERNITATIS

humilimus servus

N. Æ.

VIRO

Amplissimo & Celeberrimo,

DN. M. P E T R O
H A H N,

Scientiæ Naturalis in Regia & il-
lustri Academia Aboënsi

PROFESSORI

Famigeratissimo,

Nec non

Academiæ ejusdem

BIBLIOTHECARIO

Accuratissimo,

Præceptori & Mæcenati ut optimo,
ita loco parentis humilima men-
tis veneratione perpetua
suspiciendo,

Ad Te etiam AMPL. DN. PROFESSOR,
magno Reverentia cultu me conuerto,
quippe qui me tot ab ipsis cunis cumu-
lasti beneficiis, ut vel si totam meam vitam
tibi rependendo profunderem, vix minimam
partem aequarem: non ergo possum mihi tem-
perare, quin hac ipsa occasione animum mi-
hi esse gratissimum ostendam. Parvum qui-
dem est, atque minus politum, quod in illius
pignus offero, verum cum magna sine parvis
venire nequeant, vilem hanc simplicitatem
nutu sereniori suscipe: Ego interea qui re ni-
hil prestare possum, vota rependere non cessa-
bo, indices rogaturus, velit omnipotens ille
DEUS AMPL. VEST. DIG. felices Nestoro-
osque annos largiri: sospitet ille AMPL. V.
DIG. & ab omni malo clementissime custodiat:
ceus vobis & cernuus precatur, dum fata usura-
ram vite concesserint.

AMPL. VEST. DIG.

Observantissimus Cultor

N. F.

Ad
Induſtrium & egregiæ ſpei
Juvenem,

DN. NICOLAUM
ÆIMELÆUM,

De
MIXTIONE PHYSICA,
publice diſputantem:

Dum claram puleræ VIRTUTI
PALLADA miſces:
Tam bona VICTORI mixtio
ſerta parit.

honoris & officiū
ergo

JO. RUNGIUS.

Evunt fortasse, qui mihi illud Horatii
 adplicent: Metiri se quemque suo
 modulo ac pede fas est: quo si-
 gnificatur decere quemque intra
 mediocritatis suae sortem se continere: erunt
 inquam, qui me in illud peccare dicant dum,
 nec annis nec eruditione satis instructus, in
 tanta tamque subtili materia, quam Cele-
 berrimus Sennertus totius ferè Physicæ
 fundamentum esse, haud inconcinne asse-
 rit, teneri mei ingenii teneras vires, pericli-
 tari non verear: sed spero quod si candidi sint,
 pro candore suo etiam me excusatum eant,
 dummodo sciant me ipsum quidem hoc diu
 mecum agitantem, hastam abjiciendo pedem
 ferè retulisse, nisi mihi sic inter spem & despe-
 rationem hesitanti, calcaria addidisset, tum
 illud Poëta dicentis: quod licet deficiant
 vires, audacia certè, laus erit in ma-
 gnis, & voluisse lat est, tum quod in re
 subtili & ardua, quam in facili & vili labi &
 errare, pulchrius semper duxerim; quod si er-
 go in hac rerum subtilitate hallucinatus fue-
 rim, & quæ volui, assequi non potuerim, id
 mihi pro benevolentia tua C. L. ignoscas, has-
 que ingenij mei primitias candidè interpreteris.

*Adsis alma trias, failem conatibus auram
Da, decus ut semper fulgeat inde tuum!*

§. I.

UT natura divinâ quâdam arte mixta constituit, mortalemque hunc orbem hisce insigniter formosum reddit, ita consideratio mixtionis sublimis est ardua atque utilis, quam, felici utinam lydere, aggressuri, ut faciliores in sequentibus progrediamur, a nominis ratione indaganda initium faciemus, monente Epicteto: ἀρχὴ τῆς παιδείσεως ἢ τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψις. Ubi se primum quidem inspiciendum præbet vocis etymon, de quo tamen ut multis sumus solliciti, è re esse non censemus, cum impositione nominis haud facili, in ejus rationem demum inquiratur, hic autem cum quibusvis mixtionem verbo misceo hoc verò græco *μίγνυμι* natales suas debere, in propatulo sit, proinde etymologiæ enodationem proluxiorem omitterimus.

§. II.

§. II.

Nè autem cymbula nostra in altum emissa, in errorum syrtes impingat, homonymiam fœcundam eorum materem, levi penicillo adumbrare conabimur; dum autem in ea dispicienda sumus occupati, deprehendimus vocem misionis accipi apud sui seculi Philosophum probatissimum Thomam Erastum disp: cont: Parac: pag: 195. tripliciter, primo illi notat congeriem & accervum rerum commistarum, ut milii, tritici, hordei aliorumque talium superficies suas servantium. Deinde significat confusionem duorum, trium vel plurium corporum, eamque talem, ut corpus constituat unum continuatione tantum, non forma, faciliqve negotio rursus dissolvi possit, v: g: cum aqua ita vino admiscetur, ut nusquam illam ab hoc separatam, vel contra, sed unum ex iis continuum cernere queas, sub forma tamen sua utrumque sic continetur, ut panno facile separetur, & hæc est artificialis mistio. Denique tertio di-

4
cit miftionem fieri, quando mifcibilia
plura ita commifcentur, ut tertium quod-
dam gignant à natura componentium
diverfum, corpus fc: mixtum, quæ ul-
tima acceptio, ut inftituti noftri palato
arridet, ita etiam eò lubentiores ad de-
finitionem ejus realem tradendam pro-
perabimus. Moram autem adhuc cur-
lui noftro, quin ad realia progreflum
faciamus, inferre videtur ipfius Syno-
nymix enucleatio, alias in definitione
nominali adhiberi folita, quam tamen
eò minus moramur, quò non tam di-
verfis vocibus miftionem ab Auctori-
bus efferri manifeflius eft.

§. III.

Hilce ita quâ fieri potuit brevitate
fimplicitateque tactis, promiffi memo-
res, ad *πραγματολογία* feu definitionem
miftionis realem, propiorem accessum
facimus, eandem hunc in modum cum
Clariffimo Sperl. definiendo: *Mixtio eft*
mifcibilium, in minima diviforum unio, à for-
ma fpecifica facta. Cujus definitionis pe-
ne-

neutralia referaruri duplici utemur cla-
ve, generis sc: & differentia, alias con-
ceptus convenientia & disconvenientia,
quamvis paulo latius, nuncupata, qua-
rum primam inquirere nobis non est
operosum, cum illam constituat, unio,
formam mixtionis nobis subministrans,
talemque conjunctionem & conglutina-
tionem notans, qua miscibilia tertium
quoddam constituunt novamque speci-
em progignunt.

§. IV.

Differentiam autem quod attinet,
desumitur illa à materia, modo & ef-
ficente, de quibus singulis ut sigillatim
eoque ordine, quo illa definitio propo-
nit, nos acturos decrevimus, ita se pri-
mam evolvendam sistit materia, quam
constituunt quatuor elementa, aër, aqua,
terra & ignis, cum tribus principiis chy-
micis, sale, sulphure & Mercurio, non
seorsim sed conjunctim in aliis sc. mistis
oblata: non enim mixtio ex iis immedi-
atè fit, sic v: g: homo non puris misci-
bilibus sed aliis corporibus ex iis mixtis

illiusque causa creatis nutritur, nec in
 generatione corpus ejus immediatè fit
 ex quatuor elementis & principiis Chy-
 micis, sed ex semine, semen ex sanguine,
 sanguis ex chylo, chylus ex cibo & po-
 tu, cibus & potus ex plantis & animalibus,
 plantæ etiam non pura elementa, sed nu-
 trimentum & succum ex elementis aliisque
 principiis compactum attrahunt. Sed ne
 de re nondum clara differere videamur,
 quatuor elementa cum tribus principiis
 chymicis, materiam esse mixtionis du-
 ce experientia ibimus stabilitum, cui fi-
 dem derogare, cum firmissimis nitatur
 fundamentis, non vanum modo, sed
 & stultum omnino foret, imo, *ἀπιστία*
ἐστὲν διαπίσις, judice Aristotele libro
 8 Phys: c. 3. experientiam autem delu-
 mimus ex analysi seu resolutione corpo-
 rum mixtorum, cum artificiali, ubi o-
 peratione Chymica mixta quædam in
 sua rediguntur principia, tum naturali,
 quæ sine Chymia fit, quando sc. for-
 ma specifica egressa miscibilia ad pri-
 mum suum statum redeunt: in his e-
 nim

nim resolutionibus, testibus Chymicis aliisque naturæ peritioribus, non solum quatuor elementa deprehenduntur, verum etiam tria principia Chymica, quæ odores, colores & sapes ex iis egredientia, utpote nulli elemento propria, facile produnt, unde hoc modo argumentamur, *in quæcumque corpora mixta resolvuntur, ex iis constant, at in quatuor elementa & tria principia Chymica corpora mixta resolvuntur, ergo ex iis constant.* Major tanta veritatis luce radiat, ut in dubium revocari nequeat; hujus enim canonis, immoto nititur fundamento, *in quæ quid resolvitur ex iis constat.* Minoris infallibilitatem supra adducta experientia evincit.

§. V.

Cum sic pro modulo ingenii ostenderit, quatuor elementa cum tribus principiiis Chymicis materiam esse, mixtionis, exigit ratio connexionis, ut hac ipsa occasione, quomodo elementa in misto maneat, disquiramus, ubi imprimis Adversariorum absurditates

8
rates intueri placet: existimant enim il-
li elementa ratione qualitatum sibi con-
traria in mixto constituendo alias uniri
non posse, nisi prævia pugna ad con-
sensum redigantur, qui tamen consen-
sus sive conciliatio quomodo fieri de-
beat, inter se non conveniunt, dum a-
lii statuunt satis esse si qualitates remit-
tantur, quamvis formæ integræ mane-
ant, alii vero formas penitus perire, a-
lii denique tam formas quam qualita-
tes remitti & frangi putent, qualitates
hoc modo remitti intendentes, ut ca-
lor ignis, aquæ frigiditatem debilitet,
aquæ frigiditas iterum calorem ignis,
similiter humorem aquæ hebetet ter-
ræ siccitas & terræ siccitatem vicissim
contemperet humor aqueus, ex quibus
colligunt elementa non actu, sed vir-
tualiter tantum in mixto contineri: sed
opinionum suarum probabiles cau-
sas non afferunt. Sic Aristoteles pri-
mus à veteribus, formas in mixto in-
tegras manere statuentibus, deficiens,
ut refractionem earum crederet, hujus
ab-

absurditatis metu factum esse dicit, quod alias non qualibet pars misti esset mista, nec ex qualibet minima misti parte quatuor elementa extrahi possent. Verū ponit pro fundamento quod in controversia est, cum id fieri non debeat, quomodo enim ex parte fiat totum, ex principiis principiata, ex simplicibus composita: & qui, admissa hac sententia, penetrationem dimensionum non admittemus, ignis enim ita esset ubi aqua, aqua ubi terra, terra ubi aër & quatuor hæc quanta se invicem penetrarent: sufficit autem si in minima redacta uniantur, ita ut in minima quidem misti ad sensuum rationem particula sint quatuor elementa, non verò in minima ad rationis dictamen. In falsis ergo illorum opinionibus refellendis non opus est ut immoremur, cum nostrâ sententiâ posita, illos errare facilè dispalescat.

§. VI.

Nunc ruinosis adversariorum sententiis recensitis, veram & genuinam sub-

subjungamus necesse est, quod in hac humanæ mentis caligine facere, quamvis adeo difficile sit, ut doctissimi quique ac præsertim Scaliger, quam sententiam magis probare debeant, facile dicere non potuerint, ad veterum tamen castra, ut validius munita, confugimus, asserentes elementa cum integris suis formis & qualitatibus in mixto actu manere: mixtionis enim ratio hoc indicat; cum ea quæ non servantur, misceri dici non possint, unde præeunte nobis Clarissimo Sperlingio hoc modo argumentamur: *Quæcunque miscentur, ea non abolentur, elementa in mixtione miscentur, ergo non abolentur.* Major tanto veritatis jubare radiat, ut à nemine sanæ mentis in dubium revocari possit, Minor etiam extra controversiam est. Porro: *Quæcunque in mixtione non abolentur, eorum formæ etiam in mixtione manent, elementa in mixtione non abolentur, ergo eorum formæ in mixtione manent.* Majoris consequentia satis elucescit, nam elementum sine forma sua elementum non est, cum

illa

illa det ei esse. Ulterius: *Ubi formæ elementorum manent, ibi integræ manent, in mixto elementorum formæ manent, ergo integræ manent.* Major probatur, quia formæ ratio in indivisibili consistit, gradus non admittens, cum substantia sit, quippe quæ non recipit magis & minus. *Adhuc, Ubi formæ elementorum integræ manent, ibi etiam qualitates elementorum integræ manent, sed in mixtione.* E. Major itidem patet: qualitates enim formam insequuntur, adeoque nec intenduntur, nec remittuntur, sed semper sunt in summo gradu ubicunq; sit, sic in minima ignis particula maximus est calor, quod vero unus ignis alio magis calefaciat & astuosior sit, ob majorem id accidit partium frequentiam atque coherentiam.

§. VII.

Nostra hæc assertio quamvis sua radiet luce, sistit tamen se verborum nostrorum observantem Zabarella, qui ut defendat formas in mixto integras non manere, excipit distinguendo inter intentionem & remissionem, cum variatio-

atione speciei ac sine ea, hanc quidem formis competere contendens, quamvis non illam, nimirum ita formas intendi & remitti, ut gradu quodam per admissionem contrarii amisso, species mutetur, ubi statim contradictionem committit, ex ejus enim sententia, ignis quidem in mixto manet cum sua forma, quamvis debilitata & remissa, & tamen in mixto non manet ignis, nec ignis dicendus est, quia mutavit speciem, & in aliud corpus transivit. Quam misere ergo & se & alios torqueat in re nullius momenti, quivis percipit, & quamcumque formis intensionem & remissionem adscribat, indivisibilitati tamen formarum illa resistit, easque est substantiarum ordine rejicit. Elementa in mixto proprias species deponere asseverans fallitur, cum descriptione extremorum tantum amissa tam speciem quam numerum servent, sic terra in homine servat speciem sive formam qua differt ab aqua & igne, imprimis, cum superior inferiorem non destruat, sed perficiat, ita ut

ut servata propria specie sive forma, ad nobiliorem contrahantur, haud infacetè ergo Sennertus tractat: Chym: cap: II. Neque, inquit, ullam Averroës aut Zabarella pro ista sua sententia rationem saltem probabilem afferre & monstrare potuit, formas elementorum recipere magis & minus, aut gradus aliquos habere, ut aliqui, reliquis manentibus, tolli possint, sed simpliciter saltem illud affirmarunt.

§. VIII

Interrupit parum probationis nostræ telam otiosè negotiosus zabarella, ad illam igitur pertexendam revertemur, rationeque inceptam experientia finiemus, hanc defumens ex mixtorum in elementa resolutione, ubi tantæ formarum quam qualitatuum ratione tota sentiuntur, actu ergo in illis præexistant necesse est, si enim periissent, unde quæso, in mixti resolutione reviviscerent, cum nihil in aliquid resolvi poterit nisi prius actu insit. In hanc experientiam egregie, castra nostra munientem, op-
 sivo-

positionis telum dirigunt adversarii im-
 peritiores, qui nè sensibus repugnent,
 elementa quidem specie, non vero nu-
 mero redire adfirmant, quod non ex-
 perientia tantum, verum rationi etiam
 contrarium, saltem ad palliandum ab-
 surdum suum dogma excogitarunt, præ-
 fertim cum id ob similis elementi acti-
 onem fieri dicant, quâ in mistione a-
 missa, rursus acquirant; sed, *quomodo*
quæso, ut locum hunc ornem verbis a-
 cutissimi Dan: Senneti in hypomnem:
 c. III. telum illud invalidum à nostris
 castris, evertentibus, *in destillationibus &*
combustionibus aqua & terra e misto elici
poterit; cum ignis agendo in mistum nihil a-
quei, nihil terrei inducat, imo actio ignis,
aqua & terra adversetur, non vero eas au-
geat & perficiat? unum in combustionibus a-
gens est ignis, ejusque omnes misti par-
tes equaliter afficit, & nihilominus alias
calidas, alias frigidas, alias humidas, alias sic-
cas, alias amaras, alias dulces, alias aliis mo-
dis differentes, educit, hæc ille. Quæ cum i-
 ta sint, & elementa ab unica ignis a-
 ctio.

Etione provenire nequeant, tota illa mixtis inesse tutò concludimus.

§. IX.

Materia sic pro simplicitate, qua sumus simpliciter evoluta, imperat methodi lex, quam nobis ex definitione observandam proposuimus, ut ad modum, pari simplicitate explicandum, animum cum calamo convertamus. Dicitur modus in definitione, quod sit *miscibilium in minima divisio*, requiritur autem hæc tum ob naturam mixtionis, quæ ante, sine penetratione dimensionum, fieri nequit, quam in minima resolvantur miscibilia, ceu patet ex simili mixtione, nimirum artificiali; sic aurum argento, aqua vino, & hoc vicissim illi accurate non commiscetur, nisi prius in minima redigatur, tum quod elementa ratione qualitatum sibi contraria, in majoribus particulis uniri non possint, unde etiam inclarescit, in generatione, & nutritione mistorum pugna opus non esse, sed sufficere, si in mini-

ma redigantur, quando enim in atomos redacta miscentur, nullam vel vix notabilem pugnam ineunt, ubi vero in notabili magnitudine coiverint, sive plures atomi ejusdem generis seorsim cucurrerint, tum demum pugnare & activitatem suam exercere incipiunt, quod experimentis satis multis constat: nobis brevitati litantibus, unum vel alterum tantum breviter afferre libet: sic aqua leviter calefiens atomos igneas sine pugna excipit, atomis vero igneis ubertim, sive particulis atomis majoribus ei commixtis, insignis oritur pugna & ebullitio. Aquæ in vapores resolutæ, quamvis atomi igneæ conjungantur, nulla tamen animadvertitur pugna. Oleum, quod aquæ, ob naturæ contrarietatem in notabili magnitudine permisceri nequit, in atomos resolutum hanc facile admittit.

§. X.

Modo, sic tenui penicillo evoluta, recto ordine ad causam efficientem explicandam nos accingimus ubi magnam

gnum exurgit controversiarum divor-
 tium, quibusdam tantum ad mutuam
 elementorum pugnam & concursum re-
 spicientibus, in quorum sententiam eò
 difficiliore concesserimus, quò pau-
 ciorum corporum mixtorum, imò,
 nullorum perfectè mixtorum speciem
 solus elementorum concursus constituat,
 cum enim purè passivè in mixtionis o-
 pere se habeant elementa, se ipsa mi-
 scere nequeunt: principium ergo acti-
 vum, quod principalis mixtionis causa
 sit, investigandum: quid cedo tantum
 terræ assumit, tantum aquæ, quantum
 satis est? motore certè ac directore o-
 pus habent: quod ipsum Scaliger accu-
 ratori mentis trutina perpendens, *nisi,*
inquit, quatuor elementa rectorem habeant,
temerè & sine modo metaque ulla & jacta-
bunt & jactabuntur. Quid enim illud est,
quod tantum terra commiscet, tantum cate-
rorum? at oportet in unoquoque motum esse
unum & primum. Non enim illa sese move-
re ullum ad opus queunt, sed in compositis à
forma excellentiore, in mixtis imperfectis ab

externo principio cientur ad mutuam connectionem. Rectius ergo id formæ cujusque rei specificæ, quæ in viventibus anima est, adscripserimus, hæc enim non causam formalem saltem, sed efficientem agens, atomos corpori suo sibi fabricando aptas adtrahit, disponit & unit, ut corpus formaliter unum fiat, etiam si ê pluribus diversi generis atomis coaluerit; præterea vero, ineptas rejicit, quamvis enim plurimæ omnium miscibilium particulae in misto constituendo adessent, non tamen omnes nec æquæ multæ cujusque generis requiruntur, cum plus aquæ & minus ignis hujus mixti ratio, magis ignis vel terræ alterius exposcat, supervacanea igitur & inepta extrudit, nè monstrosa, ut ita dicam, fiat mistio.

§. XI.

Definitionis realis explicationem sic breviter pro ratione instituti absolvimus, proximum jam est, ut ad divisionem mixtionis recto tramite tendamus.

damus, dividitur autem, primò, à Cla-
 rissimo nostro Sperl. in *perfectam* & *im-*
perfectam, illa est, quâ miscibilia perfecte
 miscentur, mistumque perfectum constituitur
 hæc quâ miscibilia imperfecte miscentur mi-
 stumque imperfectum constituitur. Hic sta-
 tim indigitatum volumus, divisionem
 hanc non esse generis in suas species,
 sed analogi in sua analogata, inprimis
 cum definitio mixtionis supra data per-
 fectæ tantum, non vero imperfectæ, in
 omnibus conveniat, in illa enim uniun-
 tur miscibilia, à forma specifica, in hac
 citra illam, à principio sc: externo, qua-
 propter etiam mista imperfecta non
 specie, sed dispositione tantum acciden-
 taria à suis miscibilibus differentia, fa-
 cilè solvuntur, illa est in mineralibus &
 animatis, hæc in exhalationibus earum
 que congerie, est denique hæc via &
 gradus ad illam; nullibi enim provida
 illa mater natura saltum facit, sed gra-
 dus amans complemento rudimentum
 præmittit, in mistorum productione pri-
 us imperfecta, post perfecta producit.

Undè non unum sed plures esse mixtionum gradus docet Magnenus: primus est, cum atomi elementares elementaribus commiscentur, cujus minima, ubi iterum coaluerint, mox aliam nobilioremque mixtionis gradum, quia scilicet formæ perfectiori subjiciuntur, constituunt, horum minimis inter se iterum commixtis tertius oritur gradus, atque ita consequenter, donec ad ultimum & perfectissimum in natura perventum fuerit gradum, & quo hoc modo magis commiscentur, quoque nobiliorem formam se disponentem habent, eò elaboratius mixtum constituunt: sic multo elaboratiori materia corpus hominis, quam plantarum, constat.

§. XII.

Dividitur secundò, in regularem & irregularem: illa est, quæ secundum leges à natura præscriptas fit, sic homo homini, canis canis, equus equæ sese miscentes, progenerant hominem, canem, equum, lex enim illa quam Deus Gen: 1: v. 22. missis promulgavit, est ut simile genere-

tur

tur à simili; in hanc legem impingens
 mistio dicitur irregularis, describitur-
 que *quæ contra leges à natura præscriptas*
fiat; sic ex commistione Asini & equæ
 fit mulus, ex pardi & leonæ, leopardus,
 ficus platano inferitur & moro,
 morus castaneæ, castanea nuci. Ubi su-
 am servat indolem species quævis, nec
 Asinus equæ, nec platanus mori indo-
 lem habet. Sed cum mistio hæc ab ho-
 minum plerumque placito dependeat,
 & contra inclinationem rerum natura-
 lium fiat, in natura eam dari, non vero
 approbari ab ea concludimus. Utut
 longius de intricata hac materia dis-
 serendi filum trahi poterit, ego tamen
 tum brevitati litans, tum curtæ supel-
 lectilis recordans, illud hic abrumpo.
 Te vero adhuc C: L: hic etiam ut in
 initio rogatum velim, nè rigorosam
 censuram in immaturioris ingenii juve-
 nem ejusque fœtum, quem eruditionis
 adquirendæ jucunditate allectus, elabora-
 vit, exerceas, sed quas hic deprehen-
 deris infantiaæ notas, in meliorem par-
 tem interpretari pergas.

Öfwer

Ehrebörne/ Hederlige och Wällärde

Herz NICOLAUM
ÆIMELÆUM,

sin i många åhr beröms-wärde

Studer - Cammerad,

Då han sina wäl begynte Studiers för-
sta Ålster / de Lärdas Dömdöme
underkastade.

När Phœbus skön och klar / till Him'lens
högsta träder /

Och ögonstjinnlig sees / hur' Vesta sig högde gläder /
I det hon wijsar fram / mång' blomster / blom-
mor raar /

Dem hon i tidid och frost / uti sitt sköte baar ;
Då i sin ungdoms tid / framgår i Pallas Tempel /
Her ÆIMELÆUS quick / och wijsar ett exempel,
Hur' han af Helicon, har hämtat mången
Reos /

Som inhöle Wijsdoms Saffe / och aldrig wa-
rit hoos /

Det storka Bacchi Gold / och Venus kåka bussar /
Som häffra sig wid jord / och slä sig i pussar.

Ach

Ach! hwad för prydnad är/ anläggga wähl sin
tid

På wijsdom ädel' ring/ och sökia den med ijd/

Sij! huru lysa klara/ de ädla singelen många/
Herr NICLAS dygdig Siäl/ haer samlar riider
långa/

Nu/ som wäl kommer fram/ hwad hierrat bör-
gat tyft/

Och hwad för skönheet siin/ han i des gäsm-
mer byst.

Och som i edert boe/ haer fäst wid wijsdoms hallar/
Dy swär iaa med besked/ att the fast starka wallar/
Som Musæ innom boe/ upgifwas med en
Erang/

Ach ehr/ ri/ retu at i wunnit deras skans/

Med myckit annat mehr. Hwem derför' icke
prijsar/

Wär NICLAS wara säll/ sem sig med nectat
spissar/

Och sig platt inret gide/ fast han blije mycki'
stor-

Dy dygden storhet grund/ hoer honom skäde-
se boor.

Til wälment Heder

fattade

HALL. BIRBEER.

Högtåhrade Käre Broder.

I dygdens wäg at gåå/ och wiisheet efter
stråswa/

Är den sönemåla konst/ som möda och besvär
Med ymnog heder wåll omsider löna plär;
Då lättia och edygd i träcken slädse swåswa.
Then som af unga ähr Paenaltens högder klifwer/
Af Castals ådror han den söst och rena fast
Med munnen smaka får/ som mister ey sin
kraft/

Äh till hwad ädel skatt ju han då herre blifwer.
Med sådan osparad nit om dygden sig beflita
Och en san lärdom/ man Her Simelzum seer/
Som i sin unga ähr så wackert prof framteer/
Hwars lof min fräder ej kan nogsamit här uth-
rätta/

Men önskar Ehr til flutt all sielf begärllig lycka/
Som man upreckna kan/ att eder framstig mål
Slå ska mehr och mehr/ til des i måhlet nå/
Som eder hugna kan och ingen lär misstycka!

Således med desse så och i hast
fattade Kader gratulerade
sin Here Cousin

NICOLAUS HAHN

P. F.

